

siones, regem, &c. D. N. Ioannem. III. omnium, quos terra colit, piissimum orastis, ut mihi eius in hac sua regia, eademque florentissima Academia gymnastarum minimo iuberet, publicam super eo disputationem (quam repetitione vocamus) habere. Deinde, quod in eis resoluuntur questiones illae grandes, quas per literas suas generis nobilitate, eruditione, ac religione insignes Ludouicus Godisalvius à Norogna, & Ioannes Nonnius socij vestri in Aphricā, causa instruendi, consolandi, confirmandi, redimendique Christianos captiuos ad impiam Sarracenorū gentem missi, suis literis ante duos annos mouerunt. Questiones item illae, quas perdoctus Emanuel à Nobrega pridē à nobis laurea donatus, religione, doctrina, & genere clarus: & Ioannes ab Azpilculta, meus ex fratre nepos charissimus ex Brasilia: quod eos ad negotia Iesu Christi agenda misisti, ante annum suis literis interrogarunt. Postremo quod meum erga vos amorem, obseruantiam, & pietatem, vel hoc mutuusculo testatam esse omnibus eo magis percipio, quo pluribus olim videri potui frigidius istud vestrum viuendi insti-